tebibit; ideo illi foras, qui noluerunt de interiore bibere; ibi cediderunt; expul
si sunt nec potuerunt stare. Doctor itaque humilitatis venit; Non facere
voluntatem suam, sed voluntatem eius qui misit eum; Veniamus ad eum;
intremus ad eum; incorporemur ei ut et nos faciamus voluntatem non nostram
sed voluntatem dei; et non nos eiciet foras, quia membra ei sumus, quia caput nos
trum esse voluit docendo humilitatem, ad extremum ipsum audite con
tionantem; venite ad me qui laboratis et onerati estis; Tollite
iugum meum super vos et discite a me quia mitis sum et humilis corde;
Et cum hoc didiceritis invenietis requiem animabus vestris. Unde non eicia
mini foras; quia descendi de caelo non ut faciam voluntatem meam sed volunta
tem eius qui me misit humilitatem eum doceo; ad me venire non potest nisi hu
milis; non mittit foras nisi superbia; Quomodo exit foras qui servat humi
litatem et non labitur a veritate, dicta sunt quantum dici potuerunt de abscon
dita rensu fratres; latet enim hic latet sensus; et nescio utrum congruis
verbis a me sit depromtur et exculatur; quare ideo non eiciat foras qui ve
nit ad illum? Quia non venit facere voluntatem suam sed voluntatem eius qui misit
illum; Haec enim inquit voluntas eius qui me misit patris, ut omne quod
dedit mihi non perdam ex eo; ipse illi datus est qui servat humilitatem hoc accipit;
Qui non servat humilitatem longe est a magistro humilitatis. Ut omne quod
dedit mihi non perdam ex eo; sic non est voluntas in conspectu patris vestri ut pereat
unus de pusillis istis; De tumentibus potest perire; de pusillis nihil perit, quia
nisi fueritis sicut pusillus iste non intrabitis in regnum caelorum, Omne quod
dedit mihi pater non perdam ex eo sed resuscitabo illum in novissimo die, Videte
quemadmodum et hic geminam illam resurrectionem delineat. Qui qui ve
nit ad me; modo resurget humilis factus in membris meis; Sed et resus
citabo eum in novissimo die secundum carnem; Haec enim voluntas pa
tris mei qui misit me ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam
aeternam; et resuscitabo ego eum in novissimo die; superius dixit qui audit ver
bum meum et credit ei qui misit me, Modo autem qui videt filium et credit in eum; non dixit
videt filium et credit in patrem, hoc est enim credere in filium quod et in patrem,
Quia sicut habet vitam pater in semetipso sic dedit et filio vitam habere in se
met ipso: Ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam aeternam,
credendo et transeundo ad vitam tamquam prima illa resurrectione
Et quia non sola et resuscitabo eum ego in novissimo die. EXPLICIT
XX II INCIPIT XX III

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0024